Parte I. Lib. 2. C. 18. Sequentia narrat: Era questa Corona larga e chiusa per la parte di sopra, acciò pigliasse tutto il Capo. Con gran crudeltà la posero sopra la sua Santissima testa, e la calcavano più che potevano, e per non fare alcun danno à se medesimi con le spine, facevano forza con invenzioni, calcandola con bastoni; altri da una parte, ed altri dall'altra, sino a tanto che arrivavano a penetrar le spine, delle quali alcune escivano all'ingiù sino alle Ciglia, e altre per le tempia. Ed alcune rimanevano inchiodate, ed altre incontrandosi con l'osso si rompevano con la forza, che facevano quei perversi. Pilati spineam coronam infigentes Capiti Christi Domini describuntur milites, ne manus sibi pungentibus spinis lacerarent, hoc credibile, licet ex testibus Evangelicis, aliisve antiquitatis monumentis non comprobetur. At quod spinæ Coronæ non tantum pellem, carnemque sacratissimam Christi, sed et Cranium ipsum perforaverint, hoc incredibile propugnat P. Franciscus Suarez tom. 2. in 3. p. q. 46. art. 2. disp. 35. sect. 3. Rursus, quod Corona illa non solum caput per tempora undique circumdederit, sed totum insuper usque ad verticem Caput obtexerit, pium est: at minime credimus revelatum, cum nullo solido probari possit fundamento. Coronæ omnes quibus Victores donabantur, tantum in circuli modum Caput ambientis efformabantur, non in modum Galeæ totum Caput obtegentis; et primo modo fuisse Coronam Christo Domino impositam constat, cum illud insigne Victoriæ, et triumphi fuerit, ideo factum, ut ipsum illuderent, et ludibrio omnibus esset. Tum quia in Solemnitate Coronæ Christi Domini Corona diadema dicitur: per Diadema spineum vitæ coronam contulit;

Et

Et diadema Caput solum per tempora circumdat.

XXIII. ,, In eadem pag. aliam Visionem refert: Vidi per una parte
,, della strada alquanto da lontano venire l'afflitissima Maria
,, Madre di Dio; portava avanti di se, una strada d'Angeli, che la
,, accompagnavano, facendo luogo, acciò non fosse toccata da gente
,, si perversa. Suspecta nimis visio, ad quid enim in Comitatu illa
Angelorum multitudo? non ut honori Mariæ essent, cum non in
triumpho duceretur illa, invisibilesque erant Angeli; non ut sub
illorum esset tutela, et ne quis eam in via extremis digitis attin=
geret, cum ad hoc Angelus Custos, vel unus alter satis, superque
esset.

XXIV. Circa Votum Virginitatis ab Apostolis emissum.

,, Factum fuisse Virginitatis votum ab Apostolis omnibus, Sanctum
,, que Paulum sibi loquentem inducit p. 2. l. 3. cap. 2. pag. 1072.
,, dicens: Da qui passò l'anima mia alla virtù della castità
,, e mi disse, questa conservai con gran purità, della quale feci
,, anche voto, come gli altri Apostoli, e sempre mantenni. Quod
Apostoli omnes assumpti in Apostolatum, alij Virginitatem co-
luerint, alij continentiam, abdicatis Uxoribus, professi sint, ex
presse affirmat D. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum: Petrus,
et cæteri Apostoli, ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt
quidem Uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium
nesciebant, qui assumti postea in Apostolatum relinquunt offi=
† f. 62 cium Coniugale. [Hoc firmat, et munit textus ille Matth. 19.
v. 27 Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quod magis ex-
plicans Christus dixit: v. 29 Omnis qui reliquerit domum, vel fratres
aut sorores, aut Patrem, aut matrem, aut Uxorem, aut filios †
centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. ‡ Etiam ipsemet
Paulus loquens se à coniugij vinculo, et opere liberum dixit Epist. 1.
ad Corinth. cap. 7. v. 7. Volo enim omnes vos esse, sicut me ipsum.
At quod votum Virginitatis emiserit, et quod Apostoli alij ad casti-
tatem Voti religione fuerint obstricti, de his altissimum est apud

† propter nomen meum

‡ quibus verbis tendentes ad perfectionem continentiæ suadet, dum centuplum ei pollicetur

Patres, et Theologos silentium, quod solum nobis revelatione ista innotescit. Et mirum sane, quod loquens Paulus Corinthijs factum virginitatis votum silentio omiserit, quod tamen Servæ Dei loquens notum facit.

XXV. Circa permanentiam in Corpore Christi purissimi Sanguinis Beatissimæ Virginis à Verbo Divino assumpti in instanti, in quo facta est incarnatio.

Colloquium ~~Christum Virginem~~ inter, et Servam Dei habitum refert p. 1. l. 2. c. 2. pag. 126. quo dixit illi B. Virgo Maria: Scias filia mea, tanti me fecisse Sanguinem, quem sumsi à Matre mea usque àb instanti meæ conceptionis, et suxi spatio duorum annorum ex uberibus illius, ut noluerim Carnifices de corpore meo eum violenter extrahere, nec pedibus eorum malignis conculcari, ideoque illum in horto præsudavi: verba illius sunt: Saprai figlia mia, come stimai tanto il Sangue che presi dalla mia benedetta Madre, che fù dal primo instante della mia Concezione sino al fine di due anni, che mi sostentai del suo purissimo latte, che non volsi, che i carnefici lo cavassero dal mio Santissimo Corpo con istromenti, acciò non fusse calpestato da si perfida gente: mà volli sudarlo nell' Orto prima, che mi prendessero. Tria sunt hic maxime consideranda. Primum quod tanti fecerit sanguinem, quem sumsit à Maria àb instanti Conceptionis, et hac quod suxit spatio duorum annorum ex illius uberibus, quod noluerit Carnifices eum violenter è Corpore extrahere, ne pedibus eorum conculcaretur. Secundum, quod Sanguis ille quem sudavit in horto fuerit Sanguis illemet quem in instanti Conceptionis assumsit Verbum divinum. Tertium quod primus Sanguis Christi usque ad sudorem habitus sit, et conservari idem numero potuerit in eius Corpore. Primum perperam dicitur. Unde enim habet illa quod Sanguis ille plus sit meritorium, et excellentiæ ex eo quod fuerit Mariæ, ne pedibus Carnificum conculcaretur. Cum omnis excellentia, et meritum Sanguinis Christi ex

Unione

unione verbi procedat, ut dicitur Clementina 6. in extravag. quod una gutta Sanguinis propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis profeciset. Non ergo hanc dignitatem Sanguinis tanti estimare par est, ex eo quod fuerit Sanguis Mariæ, nec id honoris, atque excellentiæ præ reliquo Sanguine Sanguini sumpto ex Maria debetur, sed unicè quia unitus fuit Verbo divino.

Nec oppositum ratio adducta convincit. Enim verò humanæ menti non minus honorificum videri debet Sanguini Mariæ, quod conculcaretur à Carnificibus: Cum fides Catholica Christum flagellis cæsum, Spinis in ludibrium coronatum, Cruci suffixum, et cum iniquis reputatum confiteatur, quæ sane multò magis indecora videri possent; at quantò magis humilia sunt, quæ pro nobis passus est Christus, ita nec erubescimus, nec silemus.

ut ne conculcaretur ab hominibus ... si esset opprobrium Virginis, quod ad redemptionem generis humani ... conculcaretur Sanguis ex ea assumptus.

Quod opprobrium merito ridet Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 5 ubi dicit: Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit; salvus sum, si non confundar de Domino meo. Crucifixus est Dei Filius: non pudet, quia pudendum est: et mortuus est Dei Filius, prorsus credibile est, quia ineptum est.

XXVI.

Incredibile etiam videtur secundum, quod nempe Sanguis ille, quem Christus sudavit in horto fuerit ipsemet purissimus Mariæ Sanguis in instanti Conceptionis à Verbo divino assumptus. Mediocris sane, et parva fuit quantitas illa Sanguinis, insufficiens penitus ut gronis sudorum guttis maderet Corpus eius. Factus est sudor eius tanquam guttæ Sanguinis decurrentis dicitur Lucæ 22. v. 44. At quomodo ex illâ parvâ quantitate fieri potuit talis, et tanta de toto Corpore Sanguinis effusio? Rursus si parva fuit quantitas Sanguinis assumpti, hæc non in toto Corpore, sed solum in aliqua Corporis parte manere, et conservari potuit. Ergo licet ex parte illâ fusus fuerit Sanguis ille, non tamen potuit è toto Corpore exire: sed verissimum est, quod Christus in Oratione in toto Corpore Sanguinem sudaverit, et in toto Corpore Sanguinem ostenderit: ergo Sanguis ille, quem sudavit, non fuit Sanguis assumptus, nec liquor manans ex Uberibus Virginis Mariæ, qui nedum in Sanguinem, sed et in Carnem fuit conversus. Fuit ergo Sanguis alius diversus nutrimentalis nempe, ut explicat Eminentissimus Cayetanus super articulum secundum quæst. 54. 3æ p. dicens: Ille, inquam, sudor Sanguineus fuit humor Sanguineus adhuc crudus, hoc est non

redactus adhuc perfecte in Sanguinem, qui pars est hominis, et hu-iusmodi crudus humor vocatur Sanguis nutrimentalis; et quo-niam, ut Evangelista testatur, tanta fuit eius quantitas, ut decur-reret in terram, videtur, quod totus Sanguis nutrimentali, qui inveniendus fuisset in Christo tempore passionis, praeeffusus fuerit in primo passionis sudore. Dico autem, qui inveniendus fuisset tempore passionis, et non qui inventus est tunc, scilicet tem-pore orationis; quoniam non oportet fateri totum nutrimentalem Sanguinem per sudorem emissum: quoniam aliquid illius rema-nens potuit nocte, et mane decoqui perfecte, itaut nihil nutrime-talis Sanguinis inveniretur in Christo tempore passionis, cum effu-sus Sanguis est. Sed quia haec magis divinare, quam affirma-possumus, ideo nullus pertinax in propria opinione inveniatur, nullus dubia pro certis affirmet, sed pie dubitando devotionem suam prosequatur.

XXVII. Non minorem difficultatem habet tertium, quod praesup-ponit revelatio, quod idem numero Sanguis absque omni variatio-ne permanserit ab instanti Conceptionis ad tempus Orationis in horto, minime continua caloris naturalis actione resolutus. Difficillime sane hoc intelligitur, cum Christus in sua incarna-tione, carnem vere passibilem, corruptioni, et mutationi obnoxiam assumserit. Etenim corpus quantum ad conditionem naturae passibilis ante resurrectionem potuisse corrumpi definitum est contra Julianum Helicarnassi Episcopum, aliosque haereticos, qui corpus Christi ante resurrectionem incorruptibile fuisse dictitabant.† Si ergo caro illa erat passibilis, et alterabilis, quomodo potuit illa esse toto illo tempore ab omni mutatione libera, et non continua caloris naturalis actione resoluta? Ex quo enim pro salute homi-nis verus homo fieri voluit, verusque hominis filius, ut vere conci-peretur ex Maria Virgine materiam ministrante, fetus pro-ductus esse debuit eiusdem naturae passibilis, et alterabilis cum matre. Remansit ergo pars illa materiae assumtae formaliter

sumta

† de quo videri potest Leontius, lib. 2 de tribus, quos edidit contra Nestorium, et Eutichem, ubi late probat, assumptam hominis a Verbo Divino naturam fuisse per se corruptelae obnoxiam, omnia que diluit argumenta, quae ab Aphthardocetis, qui ab eodem Juliano Halicarnasseo, propagati sunt, proponebantur.

sumta, non tamen materialiter accepta, ut rem explicat D. Thomas p. 1. q. 119. art. 1. ad 2. Cum enim sibi secundum proponitur argumentum: Philosophus in I°. de generatione distinguit carnem secundum speciem, et secundum materiam, et dicit quod caro secundum materiam advenit, et recedit: quod autem ex alimento generatur advenit, et recedit, sic respondet: Ad 2.um dicendum, quod aliqui per carnem secundum speciem intellexerunt id, quod primò accipit speciem humanam, quod sumitur à generante. Et hoc dicunt semper manere quousque individuum durat: carnem verò secundùm materiam dicunt esse, quæ generatur ex alimento. Et hanc dicunt non semper permanere, sed quod sicut advenit, ita abscedit, sed hoc est contra intentionem Aristotelis, dixit enim ibi, quod sicut in unoquoque habentium speciem in materia, puta in ligno, et lapide, ita et in carne, hoc est secundum speciem, et illud secundum materiam. Manifestum est autem, quod prædicta distinctio locum non habet in rebus inanimatis, quæ non generantur ex semine, nec nutriuntur, et iterum cum id quod ex alimento generatur adiungatur corpori nutrito per modum mixtionis, sicut aqua miscetur vino, ut ponit exemplum ibidem Philosophus, non potest alia esse natura eius, quod advenit, et eius, cui advenit, cum iam sit factum unum per veram mixtionem; unde nulla ratio est, quod unum consumatur per calorem naturalem, et alterum maneat; et ideo aliter dicendum est, quod hæc distinctio Philosophi non est secundum diversas carnes, sed est eiusdem carnis secundum diversam considerationem. Si enim consideretur caro secundum speciem, id est, secundum id, quod est formale in ipsa, sic semper manet, quia semper manet natura carnis, et dispositio naturalis ipsius. Sed si consideretur caro secundum materiam, sic non manet, sed paulatim consumitur, et restauratur, sicut patet in igne fornacis, cuius forma manet, sed materia paulatim consumitur, et alia in locum eius substituitur. En qualiter profunde explicat D. Thomas, quod id, quod primo accipit à generante, non semper manet quousque individuum durat, cum nulla sit ratio, quod caro illa maneat, et quæ de novo acquiritur

consumeretur per calorem naturalem, et quae consumitur, et restauratur, est solum caro, secundum materiam considerata.

XXVIII. Nec in contrarium obstant quae in suis responsionibus adduxit Patronus causae 1°. quod discurrendo per principia philosophica sanguis, qui in utero à primordiis conceptionis ex visceribus matrum sumitur pro nostra efformatione, et successivè ex lacte accipitur pro nostro incremento naturaliter ita conservatur in nobis, ea scilicet ratione, quâ cum sanguis sit pars animalis non minus quàm ossa, et carnes sunt de integritate corporis, ut docet D. Thomas, hinc quemadmodum naturaliter conservantur ossa, vasa, caro, et alia primitus in animali efformata ex partibus illis primordialibus usque ad decrepitam aetatem pro consistentiâ eiusdem numero individui, licet ea omnia post conceptionem in dies extendantur, et crescant, sic et sanguis quoque dicendum est quod naturaliter conservatur, uti pars eiusdem animalis. Et quamvis sanguis antiquior commisceatur cum sanguine procreato ex aliis cibis quae tractu temporis animal sumit, adhuc tamen aliqua semper primitiva illius pars remanet in venis, cum nulla commixtio liquidorum etiam saepius facta sub actione, et additione sic unquam evanescit, ut nullae amplius primae partes remaneant, sed semper aliquae ex illis supersunt, uti signanter exemplum habemus propter id in oleo sancto.

XXIX 2°. quia quidquid sit de his quoad nos miseros Adae filios, certum est quod diversimode res se habuit quoad Christum Dominum, cuius conceptio utique miraculosa fuit, illiusque vita, et passio speciali Dei providentia regulata extitit. Formatus ergo fuit Christus ex purissimo, et castissimo sanguine, et ab omni superfluitate et impuritate libidinis defaecato: ergo sanguis ille sumptus à Christo in utero, et ex lacte B. Virginis una cum carne inconsumptus semper permansit in corpore ipsius Christi usque ad eius sacrosanctam passionem. Cuius fundamentum accipitur ex iis quae habet D. Suarez tom. 2. in 3ª. part. q. 27. art. 2. disp. 1. sect. 2. dicens, quod

assertum

assertum hoc partim physica ratione, partim probabili conjectura fit verisimile, illa enim substantia Carnis ex purissimis Virginis sanguinibus desumpta fuit, et optime disposita, et in mediocri quantitate. Rursus in tempore infantiae quia alimentum est facile, et fere sine resistentia convertitur, parum illius substantiae per eius actionem resolvitur, praesertim in Christo, qui temperatissimo, et convenientissimo cibo alebatur, scilicet Ubere de Caelo pleno, ut Ecclesia canit. De reliquo autem tempore vitae Christi fit non dissimilis conjectura, quia totum illud fuit tempus augmenti; aut status in quo humidum radicale fere integrum perseverat, nulla illius resolutione facta. Probabile denique est ex speciali providentia, et voluntate ipsius Christi hoc fieri potuisse.

XXX 3° probat idem ex Augustino serm. de assumpt. dicente: Caro Jesu caro est Mariae, caro enim Christi quamvis fuerit glorificata, eadem tamen mansit, quae suscepta est de Maria. Et in Psal. 98. De Carne Mariae Carnem accepit, et in ipsa Carne ambulavit, et ipsam Carnem Mariae nobis manducandam ad salutem dedit. Eiusdem sententiae sunt Anselmus cap. 5. in Epist. ad Ephes. Carnem quam de Virgine sumsit quotidie in Missarum celebrationibus sumit Ecclesia. S. Petrus Damianus serm. 45: manet aliquid de uberibus Virginis, et in Carnem vertitur Salvatoris, illud inquam absque ulla dubitatione, non aliud nunc de Sacro altari percipimus. Ex quibus, et alijs sequens promit argumentum, quod Caro Christi est Caro Virginis Matris, quodque Carne eius, et sanguine pascimur, et potamur in Sacro Eucharistiae, ac per consequens praesupponunt Patres, quod sanguis B. Virginis, ex quo formatus est Christus, nunquam fuit consumptus, sed semper conservatus extitit in eodem Christo, cum alias Patrum assertio sustineri non posset, ut reflectenti perspicuum est.

XXXI. Ad primum concedimus, quod sanguis est actu pars Corporis animati, ut docet D. Thomas 3. p. q. 54. a. 2. et Tridentinum sess. 13. can. 3. At aliae sunt partes, quae in hominis corpore dicuntur

formales, aliæ vero materiales. Formales dicuntur illæ, quæ retinent formam, seu naturam communem, ut sunt ossa, carnes, nervi, quæ semper retinent naturam ossium, carnium, nervorum; materiales verò illæ particulæ materiæ, quæ in diversis partibus corporis fluunt, et mutantur. Licet ergo in Christo manserit eadem ~~numero~~ caro secundum speciem, non tamen secundum materiam. Mansit eadem numero caro, quia semper mansit natura carnis cum dispositionibus, et proprietatibus carnis naturalibus, et si non manserint eædem particulæ carnis, quarum aliæ recedunt, aliæ in earum locum redeunt; quod non obstat, ut non sit eadem ~~numero~~ caro secundum continuationem: Cum enim unitas viventis corporei non sit ita perfecta, sicut unitas rei incorruptibilis, satis est, ut salvetur, quod maneant eædem partes formaliter sumptæ, id est, ut subsint eidem identitati, et continuationi, quæ consistit in uniformi successione unius partis, post aliam, ut diserte pronuntiat D. Thomas 4°. Contra Gentes Cap. 81. dicens: In corpore hominis quandiu vivit non semper sunt eædem partes secundum materiam, sed solum secundum speciem: secundum verò materiam partes fluunt, et refluunt, nec propter hoc impeditur, quin homo sit unus numero à principio usque ad finem; cuius exemplum accipi potest ab igne, qui cum continue ardet unus numero dicitur, propter hoc, quod species eius manet, licet ligna consumantur, et de novo apponantur, sic est etiam in corpore humano, nam forma, et species singularum partium eius continue manet per totam vitam, sed materia partium et resolvitur per actionem caloris naturalis, et de novo generatur per alimentum. En D. Thomæ explicatissima sententia objectioni respondens.

XXXII. Nec secundum plus movet. Ad quod respondere iuvat, quod licet substantia carnis ex purissimis Virginis sanguinibus desumpta fuerit, et optime disposita, necnon et Christus tam bonæ temperaturæ

temperaturæ, hoc solum probat, quod dum Cibus convertebatur in sanguinem, qui et speciem, et formam sanguinis haberet, simul etiam alia portio sanguinis converteretur in Carnem, vel alias partes: minime tamen arbitror, quod pars illa materialis, quæ in corpore erat per continuam Caloris actionem non resolveretur. Nec magis urget quod ibi dicitur de reliquo Vitæ Christi tempore, de illo nempe tempore augmenti, in quo humidum radicale fere integrum perseverat, nulla illius resolutione facta. Etenim quomodo humidum radicale conservetur, ac deperditur, egregie, atque subtiliter explicat Eminentissimus Cayetanus 1. p. q. 119. art. 1. duo observans: Adverte primo, inquit ille, quod cum apud nostram viam humidum radicale distinguatur à nutrimentali ex terminis, quia illud scilicet habet animam secundum perfectissimum modum habendi, et propterea anima dicitur in eo radicata: hoc vero habet animam ut imperfecte quia ut in via ad perfectiorem modum habendi: per humidum radicale intelligitur non aliqua fixa pars materialis, sed totum illud materiæ, in quo anima secundum esse perfectum manet et sic. Adverte secundo, quod materia in qua anima habet esse perfectum dupliciter potest deperdi; uno modo per variationem partium, et sic continue deperditur, et restauratur; nec propterea dicitur humidum radicale deperdi. Alio modo in quantum perfecte participat animam, et hoc contingit dupliciter, vel secundum partem, vel secundum totum animal, et est sermo de partibus, quæ pervenerunt ad ultimum esse, quæ scilicet non sunt via ad alias, quales partes sunt membra, manus, pedes, Caput, et si materia illa sic perdatur, tunc vere perditur humidum radicale, et aut totum animal moritur, aut membrum illud, quia est irrestaurabile: quibus verbis aperte declarat, quod materia in qua anima habet esse perfectum per variationem partium, continue deperditur, et restauratur, quin humidum radicale dicatur deperdi.

XXXIII Addiderim huic propositioni, cui tota vis argumenti hujus incumbit quidquid sit de his quoad nos miseros Adæ filios, certum est

quod diversimode res se habuit quoad Christum Dominum cuius Conceptio utique miraculosa fuit. Ita sane est, et de fide certum, quod Conceptio Christi fuit miraculosa; at ut docet D. Thomas 3. p. q. 33. a 4. multa in hoc mysterio et secundum naturam invenies, et ultra naturam: si enim consideremus id, quod est ex parte materiæ Conceptus quam Mater ministravit, totum est naturale, si verò consideremus id quod adest ex parte virtutis activæ, totum est miraculosum. Non est ergo quod ex parte materiæ hic statuatur novum, atque admirabile Dei opus, ut illa inalterabilis sit, nec eius conservatio singulari miraculo adscribi debet, cuius miraculi nullum extat in Scripturis, vel traditionibus fundamentum. Fateor cum P. Suarez probabile esse, quod hoc ex speciali providentia, et voluntate Christi fieri potuit. At miracula arbitrio fingere, ac sine teste, non licet. Et quæ verò huius miraculi ratio fingi potest? Cum nihil illo magis consulatur honori, ac dignitati Mariæ, quæ semper verè est Mater Christi, sive materia illa alterabilis sit, sive non; et mirum sane quod illud quod probabiliter asseritur potuisse fieri, iam nobis ut infallibiliter certum dictum, ac revelatum à Deo tradatur.

XXXIV. Ad tertium dicimus, quod nec SS. Patres citati testimonijs id vel leviter innuunt, ad cuius evidentiam notandum est, quod SS. Patres eâ loquendi formulâ non exprimere voluerunt, aliquam Carnis partem, quæ sit actu pars Mariæ, esse actualiter in Christo. Etenim ut fide certum debet supponi, quod in utero Virginis operatione Spiritus Sancti Corpus Christi fuerit integrum, omnibusque organicis membris absolutum, et anima rationali animatum, ut dixit Damascenus lib. 3. de Ortodoxa fide Cap. 2. Simul Caro, simul Verbi Dei Caro, simul vero animata animâ rationali. Si ergo fuit materia illa, quam ministravit Maria in instanti Conceptionis animata animâ rationali, desiit esse ~~materia~~ [pars actu Mariæ], ~~et Substantia~~ Mariæ, et incæpit esse ~~materia~~ [pars] [Christi Domini] Christi, ut videre est in omni mutatione, aut generatione substantiali.

substantiali. Non enim possibile est, eamdem numero materiam informari duplici forma substantiali; Et quamvis hoc possibile vellem admitti, impossibile debet concedi, quod anima Mariae fuerit in Corpore Christi, ut informaret materiam, seu partem eius in Corpore Christi existentem. Ergo cum materia sit solum pars subiecti, cuius

Ut clarius rem expono. Pars illa quae formata virtute Sp. S[anc]ti in Corpore Christi remansit, vel assumpta est a Christo, vel fuit informata animâ Christi, vel non? Si hoc 2um ergo fuit in Christi corpore tanquam in loco; si primum fuit informata Christi: ergo non fuit caro Mariae, sed Christi, cuius anima est informata.

informatur formâ, falsissimum est, quod in Christo fuerit aliqua pars quae actu sit, vel possit dici pars Mariae. Ex quo etiam fit evidens, quod nec in Eucharistiae Sacramento sit Caro, quae actu sit Mariae. Cum enim in Sacramento Eucharistiae realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguis Christi praecontineatur; si in Corpore Christi nihil actu datur, quod sit actu pars Mariae, nec in Sacramento existere potest. Totus Christus, qui existit in Sacramento, verè est in Sacramento, ut definit Concilium Tridentinum Sess. 13. Cap. 3. dicens Corpus Christi esse sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi illius naturalis connexionis, et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. Divinitatem verò propter admirabilem illam eius cum corpore, et anima hypostaticam unionem. Et dici nequit, quod Caro Mariae sit ex vi verborum; cum verba solum efficiant quod significant, et verba Consecrationis nihil Mariae significant. Nec iterum per concomitantiam existit Caro Mariae; cum solum partes Christi sic formaliter existant, et pars ista supponitur Mariae: Ergo in Sacramento non datur aliquid quod sit actu pars Mariae. Quod ergo solum affirmari potest est, quod in Sacramento existit Caro Christi assumpta ex Maria, ut dicit Ambrosius citatus cap. Omnia de consecrat. dist. 2. his verbis: haec, inquit, Caro mea est pro mundi vita, et ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quae nata est de Maria, et passa in Cruce, et resurrexit de Sepulcro, haec inquam ipsa est. Et infra loquens de Corpore Christi: illud verè, illud sanè quod sumtum est de Virgine, quod passum est, et Sepultum.

XXXV Ex his facile deprehenditur quo sensu accipiendæ veniunt illæ SS. Patrum loquendi formulæ: Caro Mariæ est Caro Christi: quod nobis carnem Mariæ manducandam ad salutem dedit. Non enim verba ista accipi debent crude, seu absque debita intelligentia. Etenim ea loquendi formula exprimere volunt, non quod in Christo aliquid sit, quod sit Mariæ, sed Christum conceptum esse ex Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem naturæ, et speciei, et ideo filium eius: Cum ergo natus sit Christus de Maria generante per naturam, ideo dicitur Caro Mariæ Caro Christi. Sic quia caro Christi fuit sumpta de David ut expresse dicitur ad Rom. 1. qui factus est ex semine David secundum carnem. Et Psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, David dicitur Christus, ut notat Sanctus Augustinus enarrat in Psal. 142. nº 2. dicens: intelligitur laus ipsi David, laus ipsi Christo. Christus autem secundum carnem David, quia filius David. Et infra: quia itaque ex ipso Christus secundum carnem, ideo David. Et est solemnis Scripturæ usus loquendo de parentibus, ut caro unius vocitetur caro alterius, sic Laban genesis 29. dixit Jacob: Os meum es, et caro mea. Et Judas loquendo de fratre suo Josepho Gen. 37. frater enim, et caro nostra est. Et Levit. 18. legitur: soror Patris tui caro est patris tui, et soror Matris tuæ caro est Matris tuæ, quin ex hoc modo loquendi argumentari possit, quod in Jacob fuerit aliqua actualis pars corporis Laban, nec in Josepho pars Judæ, nec in filio pars aliqua Patris: ergo à fortiori SS. Patres carnem Mariæ, carnem Christi filij unigeniti pronunciant, quin sit in ipso aliqua pars, quæ sit Mariæ, sed ut nobis ostendant, quod ex inviolabili, et virginali sanguine Mariæ Verbum vere factum est incarnatum.

XXXVI. Nec iterum velint reponere illud commune Theologorum axioma: Verbum divinum quod semel assumsit, nunquam dimisit: hoc enim intelligitur de natura assumpta, de quæ partibus

quæ

quæ secundum se totas pertinent ad veritatem naturæ humanæ; et de illis non materialiter, sed quoad speciem consideratis: quam carnem secundum speciem, et formaliter acceptam nunquam dimisit. Sed de his satis.

XXXVII. Non morabor hic circa visiones Ven: Servæ Dei quas refert liber vitæ, nempe existentiæ Divinitatis fol. 122. Incarnationis fol. 132. Epiphaniæ 2. p. l. 1. cap. 1. et 2. Necnon et quam habuit Serva Dei feria 5. in Cœna Domini 2. p. lib. 1. cap. 5. et 6 sicut et sententiam, quam habuit status animarum fol. 212. (In qua visione civitas videbatur illi speciem habens floridissimi campi, ubi apparebant herbis, et floribus constratæ, domus, et tecta domorum hæderis operta erant, sub quibus aves plurimæ occultæ suaviter, modulate, et harmonice canebant, ne perjuria, maledictiones, inhonesta verba commorantium audiret illa. Videbat homines ambulantes, ut arbores, alios ut arbuscula, alios ut arbores novellas, alios ut arbores iustæ magnitudinis, alios ut arbores magni incrementi, alios ut arbores steriles, et infructuosas, alios ut arbores fæcundas, quibus illa animarum gradum gratiæ, gratiam, et carentiam gratiæ dignoscebat;) hæc inquam non moror, cum de omnibus his suum quisque legens poterit ferre iudicium. Plura etenim, ibi mirabiliora magis, quam utiliora ad mysteriorum explicationem omnium subiiciuntur oculis. Ex quo revelationes vitæ, quia involutæ nimis et inutiles, ut suspectæ videri poterunt. Imò et quædam vanam quodammodo gloriam redolent; legitur quippe in illis fol. 123.

,, In questo tempo presi il Bambino nelle mie braccia, e lo strinsi
,, al mio petto dandogli amorosi abbracci, ed egli entrò nel mio
,, cuore, dove si fece l'unione maravigliosa di due cuori, e il divino
,, fanciullo dava trè colpi con gran forza, e dopo questi trè colpi, ri-
,, maneva con un polso assai leggiero, ed io restava maravigliata, e
,, desiderosa di sapere ciò, che significavano que' trè colpi dati con
,, tanta forza, e il polso tanto leggiere, e sua Maestà mi disse:

,, figlia il polso del mio cuore non era come quello degli altri uomi=
,, ni, ma sempre io l'ebbi in quella forma, che adesso hai sentito
,, dalla mia più tenera età sino alla morte. Et fol. 134. Vidi, che
,, dal petto di quel bel fanciullo, amantissimo Gesù, sgorgava una
,, fonte come d'oro finissimo, che si diffondeva a tutte le anime
,, che stavano in grazia di Dio . . . . In questa occasione
,, vedevo come Sua Maestà riceveva molte anime colle bra=
,, cia aperte, chiamandole sue figlie con viscere amorose di
,, Padre, lì conoscevo alcune anime, che son escite dal peccato
,, per la grazia di Dio, e mia persuasione.

XXXVIII Hæc cum mihi essent ad fidem difficilia, dubius eram
utrum omnia ita fuerint dictata à Vener. Serva Dei, vel
solum sub eius nomine ab Auctore huius Libri in lucem edita;
cum nullum certum suffragetur documentum. At ubi pri=
mum pari studio, parique diligentia transmissas Epistolas
propria manu Vener. Servæ Dei exaratas perlegi, et quæ
in actis processus Toletani præcontinentur, parum hac de re
suspicor, cum Epistolæ ita non dissimili oratione factæ sint
ac stylo; etenim in prima quæ in actis fol. 17. legitur exim=
,, pressa in Libro fol. 858. sequentia leguntur: Mi disse Sua
,, Maestà, entrando nel mio cuore: voglio mia diletta, che t'asso=
,, migli alle mie Cavalle, e Cavalli che vanno al cocchio di Faraone;
,, e per queste parole intesi, che il Rè Salomone aveva alcune
,, carrozze, che gli presentò Faraone Rè d'Egitto suo suocero
,, molto riche, e preziose, quali erano tirate da Cavalli, o Caval=
,, le velocissime, briose, e le più stimate, che avesse nella sua stalla;
,, e così volendo Dio animare l'anima mia, diceva, che voleva
,, fosse simile a questi Cavalli briosi . . . . Con questo me n'entrai
,, a fare il mio nido, e la mia mansione in quella spaziosa conca=
,, vità del costato, con proposito fermissimo di servire à Dio in
,, tutto ciò che fosse conforme alla sua santa volontà, con opere,
,, parole, e pensieri, mettendomi nelle viscere, e cuore divino, e con
più

più delicatezza, e fervore ama l'anima mia quando si trova nel Santa Sanctorum del Cuore del mio Signor Gesù Christo, che in qualunque altro Luogo.... Entrando per le delicatissime arterie della contemplazione, arrivò l'anima mia ad unirsi col mio Signore Gesù Christo, dove possedè (benche indegna) il supremo grado dell' amore..... E dal suo petto divino correva al mio Cuore un amor tenero, soave, e dolce, e mettendomi al suo petto divino diceva: Jo sono, o figlia, come una Balia, che allatta il peccatore. Suole la Balia cavarsi sangue, prender bocconi, e purgarsi, se il Bambino, che allatta, è infermo: Così io, figlia mia, come Balia ti tengo al mio petto, e mi cavai sangue con i flagelli à causa della tua infermità; presi amari bocconi con le parole ingiuriose, e scomposte, che mi dissero, e mi purgai con il fiele, che mi diedero à bere.

XXXIX. In Epistola 2.a quae legitur in eisdem actis, et in Lib. fol. 1120 refert Angelorum Exercitum descendentium de Coelo, ut ipsam in Coelum elevarent. In 3.a quae ibidem legitur, et in Lib. fol. 31. narrat, qualiter fuerit assumta ab Angelis canentibus, introducta in Coelum, et inter brachia Domini collocata. In 4.a quae in Libro impressa legitur fol. 1122. sequentia asserit: Benche per la mia grazia (Christus loquitur) tutti i peccati sieno in te abbattuti, e prostrati coll'inclinazione, o fomite, di concupiscenza del peccato, mentre starai in codesto Corpo mortale, fà di mestiere, che abbi una guerra implacabile. In 5.a quae tam in actis legitur, quam in praefato Libro fol. ~~131~~ 235 postquam retulit mirabilem raptum, Mariamque alloquentem sibi, sequentia profert: Terminate queste parole, vidi il divino Bambino nelle braccia della sua amantissima Madre, e dal di lui volto risplendente uscivano molti raggi di luce divina, e ne arrivarono alla anima mia tre risplendenti, che con molta sottigliezza entrarono nelle potenze della mia anima, e l'illustrarono con nuova luce.... Mi consegnò la Vergine Signora mia il divin Bambino, e si pose dentro del mio Cuore,

e di lì mi fè vedere l'anime, che prima, che egli venisse, escirono dal peccato, che stavano con tutte le altre, che in altri tempi sono escite dal cattivo stato, nel quale si trovavano. Diedi molte grazie à Dio, conoscendo che già stavano in sua amicizia, e grazia senza aver posto io altra cosa che i passi, e questi con tanto spirito come Dio vuole. Mi diede la Vergine Signora mia la benedizione, e la chiesi anche per li miei fratelli, e per quelli che entrerebbero a parte, con dar loro l'elemosina, acciò si rimediasse à tanti mali dell'anime, ed escissero da tanti peccati, e parimente gliela diede mostrandosi molto affezionata verso di loro.

XL. Circa eumdem fere sensum plura in reliquis transmissis Epistolis adnotari possunt. Et licet nihil ex iis, quae supra notavimus, expressum sit in praefatis Epistolis; attamen non longissime disiunctum videtur à sensu, intelligentiâ, et modo loquendi Epistolarum; ad remque meâ sententiâ maxime pertinet, quod in extrema Epistolae Vae. parte legitur manu propriâ Vener. Servae Dei exaratum: Per ritrovarmi inferma d'un braccio non scrivo più di queste righe, di quello che passò, quando venni alla Bastida, in leggendolo lo darà al Signore Licenziato Cuenca, acciò lo scriva nel libro. In qua diligentia accuratissime admonet, ut Epistola illa transcriberetur in Libro, illa nempe in qua retulerat, qualiter gaudentibus et exultantibus Angelis fuerit in Caelestibus introducta tabernaculis. Non crederem sane Epistolam illam eo animo fuisse efformatam; at compertum satis est ex citatis verbis insciam minime fuisse Vener. Servam Dei, quod scriptis mandabantur haec omnia, et non à suo Confessario Ludovico Mesa, sed ab alio, scilicet à Domino Cuenca, qui huius rei curam susceperat.

XLI. At de his omnibus iudicium sit penes Eminentissimos Sacrae Congregationis Cardinales, quos et pietatis, et Religionis Magistros audire

audire iuvat. Unum ergo affirmo, quod liber iste praecontinet do-
ctrinam novam, et peregrinam ad Explicationem mysteriorum
inutilem, cum magno Sacrorum Scriptorum silentio; necnon à
pratica, et vulgari Patrum, et Philosophorum sententia alienam:
quod et ~~plures~~ aliquae reperiuntur propositiones, quae adversari satis viden-
tur Sacrae Scripturae; necnon et aliae penitus falsae, aliae inter
Scriptores incertae, ex adverso propugnantibus, et repugnantibus
aliis; quae tamen omnia liber iste tradit nobis, non ut loquutas
ab auctoritate humanâ, sed à firma, summa, et infallibili Dei
Veritate Vener. Servae Dei revelata, ut tentatur Auctor libri
in prologo dicens: La sua familiarità con Dio fù tanto grande
" come si conoscerà da questi libri; perche la sua dottrina che nei
" medesimi si contiene per se stessa fà conoscere, che è nata da
" Lume divino, il quale stava sì permanente in quel cuore, che
" è impossibile, che fusse finta, mentre non solamente l'ingegno
" d'una donna, che mai studiò, ma neppure i più famosi Teologi
" l'averebbero potuta comporre, se non fosse scesa dal Cielo; e non
" essendo dottrina di Spirito cattivo, causerà nell'anima quell'
" ardore che hanno sperimentato in se medesimi tutti quelli, che
" l'hanno letta; ne sarebbe tanto vera, non essendosi ritrovata mai
" falsità nella medesima. Sic ille, quibus finem facio salvo
meliori Eminentiae vestrae, et Sacrae Congregationis Iudicio.

Datum in hoc Conventu S.tae Mariae super Minervam die 20.
Augusti anno 1732.

[Margin, at "Scripturae":] q hanc in improprium sensum detorquentes.

[Margin, at "meliori":] Eminentiarum vestrarum iudicio et absque ulla vel minima Sanctitatis huius servae Dei offensione, cum animam Deo egerit anno 1620, et liber publici iuris factus est anno 1661; in quo longo temporis intervallo plura variari potuerunt, alia superaddi, aut minui, quae nec in animo unquam habuerit, nec Deus talia ei in mentem iniecerit.